



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXVI. De Transactionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

nō, in dubio illos etiam post legem vel canonem, eos simpliciter irritantem, in animā foro obligare, statuendum sit extra casus, quibus naturalem etiam obligationem sublatam legis vel canonis verbis est expressum; ne à Naturali & Divino Jure recessus ultra, quàm expressum est, porrigatur, contra Regulam 6. *Cum expediat* 29. de *Elect.* in 6. & l. *Præcipimus* 32. C. de *Appellat.*

88. Quare, licet naturalem etiam obligationem non producant pactiones Simoniacæ, contractus Uirarii & quicunque de re illicita iniri sunt, aut invitati ad delinquendum, & irriti ob defectum consensus; quòd talium nullitas descendat ex Jure Naturali & Divino: sicut & professio Religiosa, ante probationis integrum vel decimum sextum ætatis annum expletum edita, & renuntiatio bonorum à Novitio ante ultimos duos pro-

bationis menses facta: nec non à prodigo sine curatore & sine tutore à pupillo celebrati contractus, quatenus his eorum conditio non melior, sed deterior redditur; quòd ejusmodi professione & renuntiatione nullam obligationem induci, Trident. *Sess.* 25. cap. 15. & l. de *Regular.* & disertè, naturalem etiam ex hujusmodi contractibus prodigi & pupilli non nasci, ex iisque solummodo peti posse, expressum sit l. *Li. cui l. ff. de P. O.* & l. *Pupillus* 59. ff. de *O. & A.* licet, inquam, ex talibus actibus ne naturalis quidem obligatio oriatur; generatim tamen, sive ex omnibus pactis & contractibus, lege vel canone etiam sine clausula, naturalem vel omnem obligationem excludente irritatis, ullam etiam naturalem obligationem non nasci, cum *citt.* aliisque DD. merito negatur.



TITVLVS XXXVI.

De Transactionibus.

Pacti generatim accepti species celeberrima, & litigantium controversias extra iudicium componendi modus cæteris usu frequentior & virtute potentior est, præfenti Rubricæ propofita Transactio.

ARTICVLVS I.

De Natura & Vi Transactionis.

SUMMARIUM.

1. Definitio Transactionis.
2. Rem dubiam & non gratuitam pactionem exigentis.
3. Ejus differentia à Sententia & Juramento:
4. A Pacto & Contractu.
5. Non valet inita à confesso juri alieni:
6. Nisi hujus scientia Transactioni fuerit pervenisset.

7. Infr.

7. *Infirma est obrenta dolo metiue.*
8. *Ea lesus minor restituitur.*
9. *Non etiam maior infra :*
10. *Imo ultra dimidium lesus,*
11. *Sive Jus,*
12. *Sive ratio spectetur;*
13. *Ne lites perpetua sint.*

Transactionis nomen aliquando late, pro quocunque, quò negotium aliquod ad finem perducitur, aut saltem pro omni eo actu, quò ab obligatione receditur, aut negotium inter aliquos etiam extra litem componitur, l. 1. §. 3. ff. de Pactis & l. Transactio 229. ff. de V. S. Aliquando verò proprie & strictè: quò modò & in nostrà Rubricà sensu sumpta, eum duntaxat actum significat, quò res dubia & controversa partium consensu componitur, aliqua re datà vel promissà, retentà vel remissà, c. Super eo 7. l. 1. ff. de l. Transactio 38. C. hic: & receptà definitione dicitur esse, Pactio non gratuita de re dubia & controversa, sive lite incertà & nondum finitâ, ut colligitur ex l. 1. cit. & cum Panormit. in Rubric. tradunt Sylvester V. Transactio pr. & Molina Tract. 2. de l. & l. disp. 556. n. 1. Ex qua definitione

Patet primò, ad Transactionem duo conjunctim requiri, scilicet pactiõnem eamque non gratuitam; quia nullò datò, retentò, promissò vel remissò Transactio non procedit, l. Transactio cit. & rem dubiam propter litem, sive præsentem & jam motam, sive futuram, hoc est, quam timor & suspicio est in iudicio movendam, l. Cum proponas 2. C. hic & ibi Bruneman. n. 2. Unde compositiones gratuita potius quàm transactiones sunt pactiones, quibus quis lite, quam alteri movet, aut movere iustè potest, cedit, omnemque actionem remittit

gratis: aut à debitore, cujus debitum liquidum sunt centum, exigit solum octoginta, reliquis viginti condonatis, c. Super eo cit. aut Papa debitori bonorum incertorum ex delicto, parte una ad bellum vg. contra Infideles applicari iustà, reliquum condonandò remittit, Molina disp. cit. n. 5.

Patet secundò, Transactionis differentia, imprimis à Sententia judiciali; quantumvis enim etiam ista definiat litem, istius tamen per eam definitio fit citra conventionem; cum sententia feratur in invitos, l. Inter 33. ff. de V. O. Deinde à Jurejurando; quia, licet controversiæ etiam hoc finem imponat juxta Apostolicum illud, *Omnis controversiæ finis est iuramentum*, ad Hebræos cap. 6. v. 16. specièmq; & vim obtineat Transactionis, l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando: & aliquando pendeat à conventionem: non tamen ipsum conventio est, neque, ut etiam sententia, necessariò sit aliquò datò, retentò &c. Gonzalez in c. 1. n. 12. Demum à Pacto & Contractu, sicut Species à Genere; sicut enim, licet omnis Contractus pactum, non tamen omne pactum est contractus, sic omnis Transactio Pactum & Contractus est saltem innominatus. *Do, ut facias* vel *Facio, ut facias* vg. do tibi partem rei inter nos controversiæ, vel aliud quidpiam, ut à lite recedas, vel mihi cedas jus, quod in ea re præstendis: cui si vg. Stipulatio accedat, contractus nominatus evadit, Molina l. cit. n. 9. non tamen vicissim omne, sed non gratuitum duntaxat pactum: neque omnis, sed de re solum dubia & controversa initus contractus, Transactio est, Welsenbec. in ff. hic n. 2.

Neque cum his pugnat; quòd Transactio priorem obligationem sive Actionem tollat: & propterea distractus potius quàm contractus sit; & in ea locus non sit

non sit pœnitentiæ, *l. Quamvis 39. C. hic*; quam tamen, re adhuc integrâ, admittunt contractus innominati, *l. Pœnitentiâ 5. pr. ff. de Condiçt. causâ datâ &c.* quia neutrum vim habet. Primum; quia, licet Transactionis finis sit distraçtio: formâ tamê, quæ sicut esse, *l. Julia-nus 9. §. 3. ff. Ad exhibend.* sic etiam ap-pellationem tribuit, *arg. l. Juris gen-erium 7. §. 12. ff. de Pactis*; Contractus habet: sicut formam pacti habet pactum posterius, quod prius tollitur; ac proinde, sicut illud pactum novum, *l. Pa-ctum 12. C. hic*; sic Transactionis novus est Contractus, Wesenbec. *l. cit. n. 2.* Alterum; quia, quod in Transactione pœnitere non liceat, minuendarum litium favore est introductum, *l. Causas 16. C. hic* Gothofredus in *l. Quamvis cit. & Haunold. Tom. 4. de l. & l. Tract. 10. n. 987.*

5. Patet tertio, Transactionis nego-tium inchoari, aut jam cœptum promo-veri & ad finem perducere non posse ab eo, cui constat nullum sibi jus compe-tere in re, de qua transigitur: & Trans-actioem invalidam esse, non solum in interno conscientie, sed etiam externo Foro, *l. In summa 65. ff. de Condiçt. in-deb. aut saltem eam rescindi posse, l. Sub pre-textu 19. C. hic.* Eodem modo firma non est transactio, quæ obventa est instrumentorum dolosâ subtractione aut falsorum exhibitione: aut etiam er-rore, in quem transigens dolò & persua-sione adversarii est inductus, *l. cit.* cum; quod talibus casibus desideretur bona fi-des, ad transactionem necessaria, *l. cit. & l. 1. §. fin. ff. ad SC. Tertyll.* tum ve-rò, propter defectum consensûs in transi-gente: cujus in eam consentientis inten-tio cenletur esse tacite conditionata, *Si instrumenta exhibitâ &c. jura verè dubium*

reddant, Gaill. *Lib. 2. observat. no. 12.* & Haunold. *Tract. cit. n. 1025.*

Aliud est, si transigentium alteri in re nullum jus competitivum, ex instru-mentis de novo repertis constaret: pri-mum post Transactionem bona fide per-actam; hoc enim casu ista rescindi jure non permittitur, *l. Sub pre-textu cit.* no-que quod acceptum vel retentum est, res-tituendi obligatio datur in Foro Con-scientie; cum, quod transactio commo-vertis finem imponat; ut, postquam bona fide & legitime celebrata est, in-venit alterâ parte transigentium rescindi & rescindi non possit, *l. Cum 11. C. hic*; omnèsque probationes & instru-menta aliæque jura partium in contem-ptum allata cassentur & pro irritis ha-beantur, *c. 1. ubi Glossa 7. V. Nazaro & DD. tum verò*; quod, sicut in hâc, sic etiam in transactione utraq; pars jus suum incerto eventui sponte commiserit & pro re sibi data, promissa &c. quali commutârit, Molina *disq. cit. n. 14.*

Sicut falsorum instrumentorum ex-hibitione aliòve dolò obventa, sic etiam gravi & injusto metu extorta transactio rescindi potest, *l. Interposita 13. C. de Gravi*, inquam; quia ad rescindendum, quæ definita sunt, non sufficit quilibet metus; vani enim timoris nulla excusa-tio est, *l. Vani 184. ff. de R. L. sed re-quiritur gravis: imò vitæ & salutis, ut colligitur ex l. Interposita cit. ibi, Quod salutis periculum vel corporis cruciatum contineat: et si ad rescindendos alios re-ctus sufficiat minoris mali v. g. amissionis omnium aut majoris partis bonorum, verbò, quilibet metus in consuetum vi-rum cadens, ut in *l. cit.* notant Barbo-sa *n. 3.* & Bruneman. *n. 1.**

Dubium est, an bonâ fide celebra-ta transactio rescindi valeat ex causa la-sonis.

fionis. Contingere autem læsio solet vel circa rem, de qua transigitur, ita ut v.g. prædium, quod per errorem decem millibus æstimatur, re ipsa sex aut quatuor duntaxat millium habeat valorem; & propterea de eo litigantium alter pro eo retinendo alteri quinque millia solvat: vel circa dubium eventum litis super eo motæ ita, ut spes victoriæ quinque millibus æstimetur, cum secundum probabilitatem instrumentis &c. demonstratam tribus aut duobus tantum valeat: & propterea transigens pro ea parti quinque millia solvat.

8. Certum nunc est primò, Transactionem initam à minore viginti quinque annis propter quamcunque gravem læsionem ex rei vel juris, sive dubii eventus litis, iustò majore vel minore æstimatione provenientes rescindi posse; quia ipsi competentis in integrum restitutionis beneficio etiam in Transactione locum esse, ex Rubrica & huic subiectis *l. C. Si adversus transactionem indubitatum est*, Wesenbec. *in ff. hic n. 8.*

9. Certum secundò est, Transactionem initam à majore propter ipsius læsionem, ex erronea ejusmodi æstimatione proveniente, si illa infra dimidium sit, non rescindi; cum propter ejusmodi læsionem ad ipsius etiam venditionis rescissionem aut defectum iusti pretii supplendum agi neutro Jure possit, arg. *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend. c. Cum dilecti 3. & c. Cum causa 6. de Empt. & Vend.*

10. An ab eodem majore inita transactione ob læsionem ultra dimidium, ex erronea ejusmodi æstimatione proveniente, rescindi valeat, magnis DD. studiis & rationum etiam momentis olim hodièque agitata controversia est: in qua licet Affirmativa, quam cum Bartolo *in l. Rem majoris cit. n. 7.* Fachineus Contra-

vers. *lib. 2. cap. 26.* propugnat, valde æqua & humana sit; cum æquitas naturalis neminem cum alterius damno & jactura locupletandum, *l. Jure Natura 206. ff. & l. Locupletari 48. ff. de R. L.* & æqualitatem in contractibus aliisque rebus omnibus, cum potest, observandam dicter, *l. Placuit 8. in fine C. de Judiciis*: Juri tamen istiusque rationi conformior est Negativa: quam cum Glossa *in c. Cum causa cit. V. Rescinduntur*, Baldo *in l. Rem majoris cit. n. 3.* & aliis magni nominis Interpp. ac DD. defendunt Menochius *Consil. 401. n. 157. Gaill. Lib. 2. observat. 70. à n. 7.* & ex Universitatis nostræ Antecessoribus Haunold. *cit. Tract. 10. n. 247.* & Manzius *Tract. de Transact. q. 12. n. 8.* quorum sententia nititur Imprimis textu *l. Lucius 78. §. fin. ff. ad SC. Trebell.* ubi à fidei commissariis, quadruplò minus, quam in bonis erat, consecutis, in reliquum agi posse dicitur, *Si transactum non sit.* Unde à contrario ductò argumentò inferitur, *Si transactum sit*, agi ab ipsis non posse, quantumvis læsi valde enormiter sint: *l. In summa 65. §. 1. ff. de Condit. indebiti*, quæ disertè negatur repetitio ejus, quod Transactionis nomine est datù, licet res nulla media fuerit: & *l. Sub pretextu cit.* ex cujus dispositione etiam sub pretextu instrumenti post reperti transactione bonà fide finita rescindi non potest &c. Deinde ratione; quia Transactione comparata est ad terminandas lites, & controversiis finem ita imponit, ut instrumenta aliæque probationes &, quod ex iis transigenti competeat, jus omnino annulletur, *c. 1. cit.* & sub pretextu, sicut instrumentorum, sic etiam specierum sive rerum in Universitate, super qua transactum est, postea apparentium, etiam si de iis in specie ne cogitatum quidem sit, nequeat impugnari, B b b b b
I, Sub

II.

I;

l. Sub prae-textu 19. cit. & 29. C. hic. Et demum paritate; quia Jura æquiparant Transactionem Sententiæ & Jurijurando, *l. Non minorem 20. C. hic, l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando 50.* Sententia autem, quæ in rem judicatam transit, & Jusjurandum ratione læsionis ultra dimidium non retractantur, *l. Sub specie 4. C. de Re judic. & l. Non erit 5. §. 2. ff. de Jurejurando.* Ergo neque Transactio Atque hæc sententia Jure nostro Provinciali Summarischen Process. *Tit. 2. art. 3. in fine* & Imperialis Camerae sententiis, secundum eam pluries latis, approbata est, teste Gaill. *l. cit. n. 11.*

13. Neque ei obstat ratio allata pro Affirmativa; quia recessus ab æqualitate & locupletatio cum aliena jactura, quæ ex Transactionum firmitate aliquando oritur, raro & præter intentionem legislatoris aliquando accedit: & minus malum est, quàm suscitatio & perpetuatio litium, quas illarum impugnationi non facile obnoxia firmitas tollit.

Neque etiam, quæ ei opponi solent, *l. Si superstitie 5. C. de dolo & l. Imperator 3. ff. hic*, cujus §. 1. Transactio cum hærede super fideicommissio inita, Codicillis postea repertis, impugnari permittitur. Non, inquam, hæc obstant. Prior; quia, in ea dolum expressum intervénisse, supponitur, ut aliis DD. *cit.* ad eam notat Bruneman. *n. 11.* Posterior; quia, licet aliàs Transactio sub præ-textu novorum instrumentorum postea repertorum rescindi nequeat, *l. Sub prae-textu 19. cit.* aliud tamen obtinet in testamento &, qui istius pars est, Codicillo; cum de controversiis ex iis descendentibus transigi aliter, quàm inspectis cognitisque eorum verbis, non possit, *l. De his 6. ff. hic*: quod ita statutum est; ne hæres aut legatarius pro modico sibi

exhibito magna bona testamentò relicta leviter jactet & amittat: atque etiam; ne facile admittatur aliquid contrarium intentioni testatoris, ut in *l. cit.* Brunemannus *n. 1.* & in Rubric. *Lectus 20.* observant.

ARTICULUS II.

De Personis Transigentibus.

SUMMARIUM.

14. Transigere possunt, qui ipsi alienare.
15. Omnino liberè nequeunt possunt.
16. Prodigus & Minor,
17. Tutores & Curatores,
18. Administratores Civitatum,
19. Procuratores Principum,
20. Vassallus de re Feudali,
21. Pater de bonis Adventitii filii,
22. Religiosus, & de rebus Monasterii immobilibus Prælatum.

Transigere generaliter, qui potest sci, omnes possunt, si rerum suarum liberam administrationem, easque alienandi facultatem habeant, *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati*, tam femina, quam maritus, etiam ægri corpore: dummodo mentes sani sint, & consentire possint, *l. Solum 27. C. hic.* Ex ejusmodi auctem administrationis & potestatis defectu transigere, præter infantes, amenes & alios rationis usu carentes, nequeunt. Primò, Pupillus sine auctoritate Tutoris. Si tamen transegerit & conditionem suam meliorem fecerit, transactio rata habetur, *arg. l. Pupillus 5. §. 1. ff. de Auct. Tutor.* sicut tali casu rata habetur.

habetur aditio hereditatis: etsi hanc adire sine tutoris autoritate non possit, Haunold. *Tom. 4. de l. & l. Trañ. 10. n. 1000.* & Bruneman. in *l. Obligari 9. ff. de Auth. tutor n. 1.*

16. Secundò; Prodigus, cui bonis est interdictum, ut colligitur ex *l. Is cui 6. ff. de V. O. & Minor viginti quinque annis habens curatorem, sine istius autoritate; nam etiam à minore sine isto initam Transactionem, nisi conditionem suam meliorem fecisse postea appareat, invalidam esse, patet ex l. Si curatorem 3. C. De in integ. restit. ubi prodigo invalidè contrahenti comparatur. Curatorem autem habentis transactio valida quidem est: sed eà læsus minor in integrum restitui potest, *l. cit.* Haunold. *l. cit.* Vide dicta *Tit. 35. n. 25.**

17. Tertio, Tutores & Curatores de bonis pupillorum & minorum immobilibus & mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt; cum enim Transactio species quædam sit Alienationis, *arg. l. 1. §. 9. ff. Si quid in fraud. patroni, sicut ad hanc, ita etiam ad illam de dictis bonis ineundam iudicis decreto est opus, l. Non solum 4. C. de Prad. minor. Gaill. Lib. 2. observat. 72. n. 1. & Molina Trañ. 2. de l. & l. disp. 557. n. 1.*

18. Quarto, Syndici & administratores civitatum sine consensu superioris de immobilibus earum rebus, ut colligitur ex *l. fn. C. de Vend. rebus civit.* quia Tutores etiam ipsi vocantur, Wesenbec. in *ff. hic n. 4.* De Immobilibus, inquam; quia de mobilibus, quæ servando servari non possunt, tutores & curatores in pupillorum ac minorum, *l. Interdum 56. §. 4. ff. de Furtis & l. Patrum 22. C. de Patis & syndici atque administratores in civitatum causis transigere possunt, l. Praeses 12. C. hic; cum*

eiusmodi rerum à lege liberam habeant administrationem.

Quintò, Procurator Principis, isto 19. inconsulto, *l. Nulli 13. ff. hic;* imò etiam alterius personæ cum mandato generali ad agendum constitutus, *l. Mandato 60. ff. de Procurat.* quia ipsi causæ actio, non litis decisio mandata fuit, *l. Transactioni 7. C. hic,* & sine speciali mandato nequit alienare, *l. Procurator 63. ff. de Procurat.* Quantumvis etiam generaliter ad agendum defendendumque & omnia sit constitutus, ex vi tamen generalis huiusmodi commissionis ad aliquem articulum, speciale mandatum exigentem, ac proinde ad transactionem admitti non debet, *c. Qui ad agendum 4. de Procurat. in 6.* quò textu cum transactio æquiparetur delationi iurijurandi; sicut hoc deferre, sic etiam transigere nequit; nisi habeat mandatum speciale, vel procurator cum libera administratione bonorum, vel certæ aliquis causæ, vel in rem suam sit datus, *citt. Wesenbecius n. 4. & Molina n. 17.*

Sextò, Vassallus sine consensu domini directi de re Feudali, si ista per transactionem in alium transferatur, iudem Wesenbec. *n. 4. & Molina n. 1.* quia hanc sine illius consensu nequit alienare, *Feud. Lib. 2. Tit. 52.*

Septimò, Pater sine decreto iudicis & aliqua, licet non exacta, causæ cognitione, de bonis adventitiis filii iam emancipati, *l. De re 10. ff. hic.* Si verò constitutus sit in potestate patris de dictis ipsis bonis transigere probabilius potest; quia eorum liberam administrationem, imò usum fructum habet: eaque alienare potest, *citt. Gaill. n. 14. & Bruneman. in l. De re cit. n. 2.*

Octavò, Religiosus sine licentia 22. Prælati, *arg. can. Non dicatis 12. q. 1. juxta dicta Tit. preced. n. 36. & ipsi etiam*

Bbbbb a tiam

tiam Prælati aliique Ecclesiarum & Monasteriorum Rectores arque administratores de rebus eorum immobilibus & pretiosis, quæ servando possunt servari: nisi, præter justam causam, Capituli vel Conventus & superioris consensus accedat, ut colligitur ex *c. Statuimus 2. & c. Contingit 3.* Ratio est; quia ejusmodi res sine istorum consensu nequeunt alienare, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. De iis, quæ à Prælat. &c.* Transactio autem species quædam est alienationis, *arg. l. 1. §. 9. cit.* Nisi à Capitulo habeat literas, quibus quidquid Prælati in causa controversa egerit, se ratihabaturum promittit, textus & Glossa in *c. Contingit cit. V. Literas*: vel super ejusmodi rebus transigendò id agat, ut eas, aliquâ pecuniâ datâ, Ecclesiæ vel monasterio recuperet vel conservet, Panormit. in *c. cit. n. 3. & cit. Molina n. 8.*

ARTICULUS III.

De Rebus, super quibus transigi potest.

SUMMARIUM.

23. Transactio, generaliter permessa.
24. Prohibita est I. super re judicata;
25. Nisi contra hanc remedium habeatur.
26. II. Super relictis Testamentò non inspectò:
27. Nisi quis inspectioni cum juramento renuntiet.
28. III. Super alimentis eò relictis:
29. Nisi hæc præterita sint,
30. Aut transactioni super futuris juramentum accedat.
31. IV. Super decimis datò temporali:

32. Quò non interveniente, permessa est.
33. V. Super beneficio litigioso;
34. Quòd tamen gratis possit fieri;
35. Non etiam ab hoc adverteri,
36. Aut sub onere pensionis ecclesiæ liberè potest.
37. VI. Super conjugio, ad ejus dissolutionem.
38. VII. Super panam sanguinis irrogante,
39. Non tamen Adulterii crimine, transigi potest.
40. VIII. Neque super crimine pallii sanguinis pena non obnoxio.
41. Etsi conventus super privatis civiliter,
42. Et super falsi crimine transigi possit.

Transigi generaliter potest super rebus dubiis & litigiosis, hoc est, de quibus lis est, aut futura timeatur, *l. 1. §. 1. C. de pro-*

ponas 2. C. hic, etiam post conclusionem in causa; cum post hæc dubius sit eventus litis, quæ adhuc pendet, Glossa in *Clement. 2. V. Postquam, ut lite pend.* Post latam autem sententiam definitivam istiusque transitum in rem judicatam, licet res adjudicata donari & liberti remitti valeat, *Wesembec. in ff. ad legem Rubr. n. 5.* Transactio tamen nullius est momenti: & quod ex ea solutum est, obnoxium repetitioni, *l. Si causa 3. C. de lib. & l. Eleganter 23. §. 1. ff. de Condit. res. deb.* Ratio est partim; quia Transactio est super rebus dubiis & incertis: sententia autem, postquam in rem judicatam transit, rem inter partes certam & indubitam facit, *l. Res judicata 207. ff. de R. J.* partim propter auctoritatem judiciorum; ne, quæ publicò judicò definita & transacta sunt, pro indefinitis & incertis habeantur arbitriò privatorum transigentium

gentium super iis: quod utique grave & exemplò perniciosum foret. Weitenbec.

25. *l. cit.* Dummodo tamen iudicatum non negetur, aut de sententiæ valore non dubietur; tali enim casu, uti &, cum ab ea appellatio est interposita aut interponi adhuc potest, cum lis finem nondum accepisse, sed adhuc subesse intelligatur, inita transactio vires haberet, *l. Et post rem 11. pr. ff. hie.* Eòdem modò, si adversus rem iudicatam supplicatio à Principe admitta, aut in integrum restitutio à minore impetrata fuisset, eò ipsò; quòd res dubia reddatur, transactioni locus foret. *arg. l. Si causa cit. Zæsius in ff. ad hanc Rubr. n. 12. & 13. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 556. n. 2.*

26. Secundò, transigi nequit de hæreditate alicujus viventis, *arg. l. fin. C. de Pactis & l. Nec nos 4. C. de Postlim. revers. ut Tit. preced. n. 48.* est dictum: & de rebus ultima voluntate relictis, nisi inspectis cognitisque verbis testamenti vel Codicilli, etiam si istius mentio facta non est in testamento, *l. De his 6. ff. hie l. Non est 12. ff. hie & l. 1. ff. Testam. quemad. aper.* quòd subtiliter statutum est; quia hujusmodi transactiones videntur esse captiosæ & improbæ; cum enim futuræ quamvis magnæ præfens etiam modica utilitas facillè præferatur, multi modicò præfente contenti relicta magna, præsertim præter expectationem advenientia bona, si possent, facillè repudiarent, *l. Cum hi 8. pr. ff. hie.* Unde

Non levis momenti & difficultatis dubium oritur, an testamenti inspectioni renuntiare saltem cum juramento possit à transigente: quod cum Panormit. *in c. Cum contingat 28 de Jurejurando n. 30. & Tiraquello in Prefat. in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. n. 145.* non pauci & non ignobiles DD. & novissimè Haunold. *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n.*

1013. negant; quòd *l. cit.* dispositio non tantum hæredis, sed ipsius etiam testatoris ac Reipublicæ, cujus ultimas voluntates non everti interest, favorem spectet: favori autem alieno & publicè renuntiare etiam cum juramento non possit, *c. Cum contingat 12. de Foro comper.*

Alii tamen numerò & nomine potiores, quos Gutierrez *de Juramento p. 3. cap. 2. n. 20. & cit. Molina disp. 557 n. 14.* secuti sunt, bona fide factam ejusmodi renuntiationem saltem juratam validam censent, sive ita transigens omni legum & Juris auxilio generaliter, sive in specie *l. De his cit.* dispositioni renuntiarit. Rationem reddunt, quòd ejusmodi renuntiatio secundum se spectata non contineat ullam turpitudinem, & propterea Jure naturali illicita non sit. Jure autem Positivo super rebus relictis, non lectis neque cognitis testamenti verbis, transactio prohibita principaliter sit in favorem hæredis, *arg. l. Cum hi cit.* qui proinde favori principaliter pro se introducto, saltem cum juramento poterit renuntiare; cum istius observantia in æternæ salutis dispendium aut tertii præjudicium non redundet, *arg. c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* Unde corrui ratio allata in contrarium; quia *l. De his cit.* dispositio, licet secundariò etiam testatoris & publicò, principaliter tamen condita est favore hæredis; ne ab eo, si testamenti tabulis non inspectis transigat, magnæ æstimationis legatum aut hæreditas facillè repudietur, *Zæsius in ff. de Transact. num. 19.*

Tertiò, transigi sine autoritate iudicis & causæ cognitione nequit super futuris alimentis, testamento, codicillò vel etiam mortis causà donatione relictis, *l. Cum tibi cit.* cujus *pr.* ratio redditur; quòd hi, quibus relicta sunt, facillè transigerent contenti modico præfenti: & quid

Bb bb b ;

quid adversi legatarius pati posset, alimentis contra testatoris mentem per transactionem interceptis, Zœsius in ff. de Aliment. & Cibarij. leg. n. 5.

Dixi, Testamentò relictijs & Futuris. Prius; quia super alimentis, debitis solummodo ex contractu vel aliunde, transactio licita est, l. Cum tibi cit. §. 2. & ibi Glossa V. Mortis causa; cum eà nihil fiat contra mentem contrahentium: qui obligationem mutuò consensu, sicut inducere, sic etiam tollere liberè possunt, arg. c. 1. de R. J. Posterius; quia de alimentis præteritis inita transactio nihil vitii continet, l. de alimentis §. C. hic; quia à testatore vel mortis causâ donatore relinquuntur, & super relictijs transigi Jura veterunt; ut is, cui relicta sunt, ad vitæ sustentationem necessariis non destituatur. Cum ergo vita non in præteritum, sed in futurum duntaxat tempus sustentationem relicta sunt, alimentorum rationem habere deserunt, & simplex debitum jam sunt, Wesenbec, in ff. hic n. 5. & Molina disp. cit. n. 15. Imò etiam de futuris sine judicis autoritate facta transactio teneret, si alimentarius, cui relicta sunt, causam suam transigendò faceret meliorem, v.g. si iste, quæ testamentò debentur singulis annis, vi transactionis singulis mensibus consequeretur, l. cit. §. 6. ne, quod ejus favore introductum est, in ejus odium ac dispendium retorqueatur, contra Reg. Quod ob gratiam §. 1. in 6. & l. Quod favore 6. C. de LL.

30. An aliis etiam casibus de futuris & ultima voluntate relictijs alimentis vim habeat transactio jurata, in controversiam aliqui vocant: & negat Baldus in l. Pactum §. C. de Collat. q. ult. n. 17. quòd l. Cum hi cit. dispositio non solius alimentarii, sed testatoris quoque & publicus favor sit; ne ultima voluntas intereat. Verùm,

quia hic secundarius duntaxat: primarius autem & l. cum hi cit. pr. expressus favor est legatarii sive alimentarii; ne alimentis interceptis egeat, renuntiationem & transactionem juratam contraveniri ab eo non potest; cum hujusmodi juramentum non sit de re prohibita Jure naturali & l. cit. non obstante, sine peccato & terti præjudicio valeat observari. Item Jafone in l. De his cit. n. 11. & alijs DD. allegatis cit. Gutierrez cap. 3. n. 4. & Molina n. 16. excipiens calum, quòd, quomodò renuntiatione factâ, imminens extremâ necessitate alimentarius se prius necessarijs alimentis; hoc enim casu juramentum, tanquam de re illicita præstitum, pro irritò habet.

Quartò, super decimis transigi non quit, ut datò vel receptò temporali eas percipiendi jus acquiratur, retinetur, remittatur, arg. c. Præteritò quia hujusmodi transactio Simoniacè aperta foret, Glossa in c. Statuimus 2. V. Super Decimis & ibi Panormit. n. 5.

An etiam, cum nullò temporali datò vel receptò decimandi jus acquiratur, retinetur vel remittitur, transigi super illis à Parochis valeat, dubitandi ratio est; quòd spiritualia ministrantibus debita sint Jure naturali & Divinò, c. 1. c. 2. de rochianos 14. & c. Tria nobis 26. de Decimis: quò introducta obligatio tolli vel minui nequit per transactionem, arg. c. Inferior 4. dist. 21.

Nihilominus, etiam super illis, v.g. ut non ex omnibus fructuum speciebus solvantur, ut monasterium ab earum præstatione eximatur, transigi posse, liquet ex c. Statuimus cit. & ratio est partim; quòd naturali & Divino Jure in Novo Testamento non debeatur, nisi quòd tam partem, quæ necessaria est ad congruam sustentationem: aut, nisi de ista parochia aliunde provideatur, Suarez de Decimis cap. 3.

cap. 9. n. 10. partim verò; quòd eas præstandi obligatio minui &, si Ecclesiæ ministris aliunde provideatur, etiam tolli valeat privilegiò & præscriptione: quibus tamen Juri naturali ac Divino nequit derogari, arg. c. fin. de Consuet. Cur non etiam transactione legitimâ, hoc est, factâ ex justa causâ cum debitis solennitatibus, si ejus obligatio Ecclesiam afficiat: & sine istis, quando solum transigentem etiam ultra triennium & ad ipsius vitam obligat, & non transit ad successorem? ut cum Glossâ in c. Ex multiplici 3. V. Eandem de Decimis advertit Laiman in c. Statuimus cit. n. 2. & Gonzalez n. 7.

33. Quintò, illicita est transactio super litigioso beneficio Ecclesiastico, c. Super eo 7. cujus textu, licet ea tanquam Simoniaca reprobari videatur generaliter, rectè tamen Laiman in c. cit. à n. 1. inter quatuor casus & modos, quibus super beneficio exorta lis componi potest, distinguit.

34. Primus est, quò inter litigantes amicabiliter convenit, ut uni, scilicet possessori vel in eo jam instituto, beneficium relinquatur gratis, & quin alteri aliud beneficium obveniat, vel pensio aut quidpiam temporale ex pacto detur, promittatur, remittatur: cujusmodi transactionem vel potiùs compositionem, etiam propriâ auctoritate factam tenere, desumitur ex c. cit. & ibi notat Panormit. n. 2. Ex pacto, inquâ, & Instituto. Prius; quia, licet ei, qui beneficio cedit, postea gratis & nulla pactione interveniente donum aliquod offerretur, Simonia non committeretur, arg. can. Quàm pio 1.

35. q. 2. & c. Dilectus 30. de Simonia. Posterius, partim; quia, si beneficium cederetur ei, qui in eo titulum non habet, superioris auctoritas intervenire deberet; ne beneficium obtineatur sine Canonica institutione, contra Reg. 1. in 6.

partim verò; quia, si beneficium colliganti cederetur à possessore, sive in eo priùs jam instituto, huic etiam necessaria foret auctoritas superioris: quâ non interveniente, sicut obtineri, sic etiâ dimittere beneficium Ecclesiasticum non potest, c. Admonet 4. & c. Quod in dubiis 8. de Renuntiatis. Panormit. cit. n. 2.

Secundus, quò transigitur, ut litigantium uni obveniat beneficium: alteri verò temporale aliquid detur, promittatur, remittatur ex conventionem: cujusmodi transactionem, sive propriâ sive superioris auctoritate fiat, Simoniacam esse, liquet ex c. Super eo cit. & c. fin. de Rer. permutat. ubi omnis pactio, quâ pro spirituali datur vel promittitur aliquid temporale, reprobatur. Ratio est; quia transactio est contractus reciprocus & species quædam commutationis: spirituale autem & huic annexum, sicut est beneficium Ecclesiasticum, pro temporali commutari absque labe Simoniæ non potest, Glossâ in c. fin. cit. V. Temporalia.

Tertius, quò uni litigiosum, alteri verò aliud beneficium, in ejus favorem à colligante resignatum, ceditur: cujusmodi liti compositio, si propriâ litigantium & sine superioris auctoritate fiat, simoniaca reputatur, c. Quæstionem 5. c. Cùm olim 7. de Rer. permutat. & c. Super eo cit. quò postremò textu super beneficio litigioso à labe Simoniæ ea duntaxat compositio absolvitur, quæ gratis & amicabiliter fit. Unde argumentò à contrario ductò eam, quæ cum pacto oneroso aliud beneficium dandi fit, tanquam Simoniacam reputari, legitime infert cit. Suarez cap. 15. n. 12. Accedit; quòd vî hujusmodi transactionis beneficium sine auctoritate superioris dimittatur & obtineatur, contra Reg. 1. & c. Admonet cit.

Quartus,

36. Quartus, quò uni relinquitur beneficium cum onere solvendi alteri pensionem ex ejus fructibus; non quidem in juris dubii compensationem, sed ob bonum pacis & concordiae sive, ut à lite & controversia recedatur: cujusmodi transactionem, si auctoritate superioris, pensionem ex officio imponentis, fiat, Simoniacam non reputari, ex *e. Statuimus cit. & c. Nisi essent. 21. de Præbend. delumi, & ratio reddi solet; quòd interventus auctoritatis superioris tollat suspicionem & præsumptionem Simoniacæ intentionis: quam in beneficiorum & pensionum Ecclesiasticarum propria auctoritate factâ permutatione, ac proinde etiam in transactione intervenire, Jura præsumunt, per ea, quæ trademus *Lib. 5. Tit. 3. à n. 25.**

37. Sextò, *e. fin.* prohibita est transactio de Matrimonio: de quo tamen dubitandi ratio est; quòd tempore contractus pacta inter sponsum & sponsam usu recepta, & Jure quoque permixta videantur, *l. fin. ff. de Arrh. 4. C. de Sponsal. & c. Super eo 5. de Condit. apposit.* quia, postquam ratum jam est, ante consummationem dubiò exortò de ejus valore inter personas eò conjunctas conveniri potest; ut una ingrediatur religionem: altera verò ineam aliud matrimonium, itaque prius ratum dissolvatur, arg. *e. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* Nihilominus super Matrimonii legitime contracti dissolutione transactionem Jure non permissam, *e. fin. hic* clarè decisum, & ratio est partim; quòd semel validè contractum consummatumque indissolubile sit Jure Divino, juxta illud, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, *Matth. cap. 19. v. 6. & c. Gaudemus 8. de Divortis.* Unde talis transactio nulla est, licet valida & licita etiam sit, quæ super dote ejusque accessoriis initur, Gonzalez in *e. fin. hic n. 22.* partim verò; quòd causæ Ma-

trimoniales à legitimo judice Ecclesiastico sint definiendæ, *e. Accedentibus 11. de Excess. Pralat. & Trident. sess. 24. cap. 20. V. Abbat de Ref. & propterea superior etiam in arbitros compromitti non potest, e. Causa 9. De in integ. resu.*

Neque obstant *cc. cit.* quia, quòd matrimonio nondum consummato unus ingredi valeat Religionem, non tam ex conventionem & consensu alterius habetur, quam ex dispositione & privilegio Juris, ob favorem religionis hujus ingressum uni permittentis, etiam alteri invitò, *cc. cit.*

Septimò, transactio super adultèrio prohibita est *l. Transigere 18. C. hic* quòd tamen etiam anceps reddi non levis ratio; quòd ex una, transigere licet super crimine Capitali, sive cujus poena est ultimum supplicium, *l. cit.* (aur etiam mutilatio membri vel fustigatio, secundum Clarum *§. fin. q. 58. n. 7. & 8.* quòd tamen alii satis probabiliter negant, apud Zæsum in *ff. hic n. 25.*) & super eo transigens pro confessio non habeatur quòd potius gravissimi periculi declinandi, quam conscientia criminis causâ transigere censetur, *l. fin. ff. de Calumniat.* ex altera verò parte, adulterii crimen, licet olim ejus poena esset relegatio, *l. Si quis 5. ff. de Q. D. posteriori* tamen Jure Codicis ceperit esse Capitale, *l. Quarta 19. C. ad L. Jul. De adult.*

Sed recedendum non est à dispositione *l. Transigere cit.* Ratio autem à communi Regula, transactionem in criminibus Capitalibus permittente, adultèrium excipiendi, fuisse videtur partim; quòd, licet frequentius, quam alia crimina Capitalia, committatur, ejus tamen accusatio paucis personis fuerit permixta & propterea, si de eo transactio cum accusatoribus permitteretur, fere maneret impunitum; partim verò; ut præcisè trans-

transactionis spe facilius evitentur gravissima mala & incommoda, quæ ex alterius crimine sequi solent: ut sunt decus & nota conjugis innocentis, odia & cades, infectio clarorum natalium, successio proli spurie in bonis mariti innocentis &c. Molina *Tract. 3. de J. & J. disp. 46. n. 7.* & Bruneman, *in l. cit. n. 7.* qui tamen *n. 9.* hodie gratuitam remissionem seu cessationem ab accusatione alterius impunè fieri posse, censet cum *cit.* Molina *n. 11.* ab eadem Regula, quæ transactionem, & gratuitam quoque remissionem permittit, excipiente crimina, quæ sciens detegere tenetur; ut, publico bono exigente, impediri valeant & puniri: cuiusmodi sunt læsæ Majestatis, hæresis & similia crimina, quorum notitiam habentes ea sub excommunicationis aliisque poenis detegere jubentur; super his enim transactiones invalidæ & gravibus poenis obnoxie sunt; cum læsæ Majestatis crimen etiam ab eo, qui hoc scit & non revelat, contrahatur, Zoesius *in ff. ad hanc Rubr. n. 4.*

40. Octavo denique transactio etiam prohibita est super aliis criminibus publicis & poenam sanguinis non irrogantibus, *l. Transigere cit. ne crimina impunita maneat in præjudicium boni publici, l. Ita vulneratus §. 2. ff. ad L. Aquil. ad eod;* ut transigens pro confesso habeatur & puniatur: nisi probet se innocentem, & pecuniam ad redimendam vexationem, molestiamque & sumptus litis evitandos datam, *l. Si ab eo §. ff. de Calumniat. Molina l. cit. n. 13.* Ratio de his criminibus aliud statuendi fuit; quod, cessante periculo sanguinis, quem Jura quovis modo, etiam pecuniâ datâ accusatori, ut ab accusatione desistat, redimere permiserunt, textus & Glossa *in l. 1. ff. de Bonis eorum qui ante sent.* quod, inquam, hoc periculo cessante transigens reus accusa-

torum pretiò corrumpere, & accusator prævaricari aut calumniari videatur, *l. fm. C. de Prævaricat. Clarus §. fm. q. 58. n. 15.* & Molina *cit. n. 13.*

Dixi, *De criminibus Publicis & 41. Panam sanguinis non irrogantibus.* Primum; quia de privatis opus est distinctione; vel enim de iis, vg. injuriarum, agitur civiliter vel criminaliter? Si posterius hoc, transactio irrita est & accusatus de iis, perinde ut de publico crimine transigens habetur pro confesso. Si prius, & ad poenam parti læsæ applicandam agatur, sicut pactio gratuita, sic etiam transactio subsistit, *cit. Molina n. 14.* & Haunold, *n. 1019.* Secundum; quia de criminibus poenam sanguinis irrogantibus transactionem permissam esse supra jam est insinuatam; neque solum reo accusato: sed accusatori quoque; quod de capite ipse etiam periclitetur; cum, si in criminis probatione deficiens calumnie impactæ suspicionem justâ aliquâ causâ non purget, poena Talionis, sive similis illi, quam probatò crimine accusatus subjisset, timenda ipsi sit, *can. Calumniator 2. cum can. seq. 2. q. 3. & l. fm. C. de Accusat. & de Calumniat. ut Lib. 5. Tit. 2. a num. 4.* tradetur.

Excipitur etiam accusatio criminis 42. Falsi; licet enim etiam hoc crimen Publicum sit & poenâ sanguinis ut plurimum non plectatur, de eo tamen cum accusatore transactio reo permittitur, *l. Transigere cit. §. 1. Si ex falsis 42. in fine C. hic;* quod de eo condemnato valde gravis infamia irrogetur: & jactura honoris, quam secum trahit, sanguinis poenæ æquiparetur, Clarus *§. fm. q. 58. n. 18.* & *cit.* Molina *n. 16.*

☉ (O) ☉

Ce cc c

TITU-